CAROLI COMITIS FIRMIANI
VITA

AUCTORE

ANGELO THEODORO VILLA

IN TICINENSI ARCHIGYMNASIO

REGIO PROFESSORE.

CAROLVS COMES FIRMIAN

MDCCLXXXII

MEDIOLANI MDCCLXXXIII.

TYPIS IMPERIALIS MONASTERII S. AMBROSII MAIORIS.

SUPERIORUM PERMISSU.

EXCELLENTISSIMO VIRO

IOSEPHO COMITI DE WILZECK

RERUM AUSTRIACARUM, ET IMPERII IN ITALIA CUM PL. POT. PROCURATORI CÆSARIS &c.



EMINI, EXCELLENTISSIME VIR, quum Te primum obsequii gratia post obitum FIRMIANI COMITIS Mediolani convenissem, omnisque fuisset sermo de eius laudibus, qui paulo ante tam ingens desiderium sui reliquerat; alterum a me tibi, obortis repente lacrymis, gravissimi moeroris mei, gratique animi testimonium, alterum abs Te mihi, quanquam alienis verbis, brevissimumque de summis eius virtutibus redditum fuisse. Visum enim tibi prae ceteris, quod olim Cornelius Tacitus, acris iudicii homo, de Agricola dixerat *Bonum virum facile crederes, magnum libenter*, id ipsum si ad animi dotes referatur, de Viro optimo, quem nuper amiseramus, praedicari merito posse. Quod plane iudicium ut ceteris anteferrem, id primum in caussa fuit, quod profectum illud abs te, prolatumque de Firmiano Comite, quicum

amice diu & familiariter vixeras, neque assentationis quidquam, & minus fortasse laudis, quam aliquibus videri possit, complecteretur. Ego vero quoniam & difficillimum cuique arbitror, nisi si quis perpetuo virtutem coluerit, bonum esse & haberi, magnum vero aliquid iam homini obtigisse, qui magnus in aliorum desiderio sit, mihi ipse prohibui, ne alio quovis distraheretur iudicio animus, qui tuum sedulus & saepe revolverat. Itaque quum a me non invito petiisses, ut eius praeconia scripto mandarem, & quasi iusta peragerem eximio Viro, qui tam egregie de nobis, de literis omnibus, de universa Repub. meritus fuerit, non sum arbitratus quidpiam e re magis fore, quam si illustriora Vitae eius momenta persequens, compendiarium illud, quod tuleras, de ipso iudicium, amplissimarum eius Virtutum veluti testimonio comprobarem. Quod ego minus fortasse veritus tenuitatem virium mearum, lubens tamen ac volens dum agere instituo coram Te, moveor quidem dolore meo, moveor praesentia tua, moveor recordatione amissi Viri, cuius imaginem in Te video: sed consolatur me tua illa Virtus, grati animi Virtus excellens, quae minimum a me quum postulet, quod unum praestare queo

pro multis in me beneficiis, satis videtur, eo ipso, quod postulet, jam maximum posuisse monumentum in pectore tuo, pretiosius oppido gloriosiusque memoriae eius quam quod in marmore molitus es, in nummisque (1) iam exegisti: pretiosissimum tamen utrumque, summaeque etiam Tibi, & nunquam interiturae laudi futurum.

Carolus Comes a Firmian in subalpinis Italiae (2) ultra Tridentûm natus, quum se minus Italum esse profitebatur, non eam loci, ubi fortuito natus est, positionem spectabat, quanquam & finitima Germaniae regio, terraque ipsa, ubi natus est, germanicum adepta nomen, quod (3) *mediam coronam* latine diceres, familiarius, aut saltem promiscue utantur Germanorum lingua; sed nobilissimae originem Gentis suae a Castro Firmiano (4), usae iam pridem privilegiis iuribusque omnibus Germanorum. Is porro, & generis

(1) Numisma habes in fronte Operis typis editum: monumentum ex Lunensi marmore praeclaro Iosephi Franchi artificio elaboratum Mediolani conspicuum propediem habebimus.

(2) Quin eum Tridenti A. 1718. natum affirmat in eiusdem Elogio spectatissimus Comes Gherardus de Arco.

(3) Kronmetz.

(4) Quanquam contracta olim cum Austriis Oeniponti Principibus permutatione Castri, ab eius dominio decesserit Firmiana gens, id tamen ab Augusta datum ut veteri adhuc nomine appellaretut *von un zu Firmian*, quod priscae nobilitatis argumento Germanis est.

nobilitate clarus, & gloria maiorum, sua tamen virtute Fratrumque dignitate clarior, Parentem habuit Virum optimum Iurisque peritum, in primisque solicitum de praeclara liberorum educatione. Nam ut memini me audisse ab eius conterraneo, quidquid esset penes se facultatum, id omne erogaturum se ultro aiebat Pater, modo amplissimum optimae institutionis in eo genere vitae, quod suscepissent, patrimonium filiis relinqueret. Consilium Patris optimum, asserta sibi ante ceteros prima liberorum educatione, piissima Genitrix, nobilisque genere orta Comitum de Thunn, piissima, inquam, filiisque charissima re & exemplo comprobavit. Primogenitus ex his Leopoldus Ernestus, quem paucis ab hinc diebus mortuum deflemns, clarissimum nomen Ecclesiae dedit, nam & Pataviae in Vindelicis (1) Episcopus fuit, romanoque Purpuratorum Senatui adscriptus. Alter a veteri scriptore Firmiano, cui nomen Lactantio erat, suum assecutus est, bonus paterfamilias, idemque bonis artibus, graecisque praeterea latinisque literis excellens. Sequitur post ipsum Vigilius, suis & ipse virtutibus insignis, qui licet abdicato a se Lavanti Episcopatu, Principis adhuc inhaerentem

(1) Passavia.

Episcopatui titulum singulari beneficio retinet. Natu minimus omnium Carolus, quum esset adolescentulus summaque spe praeditus, a Patre ductus primo Oenipontum, ubi humaniorum rudimenta disciplinarum didicit, deinde ad Patruum Iuvaviae (1) Antistitem & Principem missus est, ut & sanctissimis ingenuisque moribus, & literis omnibus quascumque capere ea aetas poterat, liberalissime imbueretur. Quorum alterum ut ex voto cederet, praeter indolem adolescentis, fecit ipsa gravissimi Praesulis consuetudo: alterum fortuna praestitit, quod is familiarem adhuc haberet sibi Ioannem Baptistam Casperium, sive de Gasparis (2) Tridentinum omnigena eruditione ornatum hominem graeceque, & latine doctum. Quem ego hominem biennio ante, quam Firmianum cognovi, multa quotidie mihi de huius ingenio, doctrina, & probitate narrantem, atque ita narrantem, ut eum delectare adhuc veteris magisterii memoria videretur. Nec immerito tamen, nam quidquid Firmianus ab ineunte adolescentia ingenui saporis ex graecis latinisque

(1) Saltzburg.

(2) Casperius. Hoc sibi nomen latine sumpserat, donec in Italia moratus est: in Germaniam profectus *de Gasparis* maluit appellari.

scriptoribus elicuerat, id adeo adhaesit homini, ut difficile non esset in sene egregiam adolescentis institutionem agnoscere. Credo etiam domesticas inter has disciplinas temporis aliquid historiarum studiis reliquum fuisse: hisce enim, atque horum similibus, quae mentem augere hominum & exercere utiliter memoriam solent, initiabantur ea aetate, rectius fortasse quam nostra, ingenui adolescentes. Quin huic etiam muneri obeundo quammaxime par Tridentinus ille, qui tandem in publico Vindobonensi Gymnasio historiarum professor obiit. Ego plane, quoties Firmianum Comitem pro re qualibet nata inter amicorum colloquia tam scite disserentem audiebam, toties nisi studium a puero inchoasset, haud fieri potuisse intelligebam, uti tot tantaque cuiusque generis pro varietate rerum ubique, & quandocunque gestarum memoriae committeret, atque adeo tam accurate calleret. Revera tamen historiarum genus quodcunque perpetuo ei in deliciis atque honore fuisse vel ex eo colliges, quod primus huc ad commodum iuventutis in ipsamet Gymnasii instauratione historiam rerum patriae invexerit, mihique vix antea ad eloquentiam accito summopere commendarit. Sed ad magistrum revertar, clarissimum virum, cuius

infortunium haud recte scio an finem institutioni dederit, an vero aliae eam causae paulo ante interceperint: facta enim habeo, tempora non item. Quod certum habeo, dicam. Vix in Italia libellum ediderat Muratorius de moderando Fidelium cultu, quum forte Casperius laudare opus aggrediens, quod multa vulgi praeiudicia tolleret, omnem in se Monachorum Iuvaviensium iram concitarit. Monstrare eum digito tanquam pene haereticum coepere, diras in eum e suggestu imprecari, offensam proclamare Dei Matrem, quod huic aliae, Deoque aliae caeremoniae praefinirentur, infamis Muratorium sectae auctorem dicere, praeconem Casperium, ciere in hunc plebis rabiem: adversus quos veluti Sycophantas quum opus ille vulgasset, ut erat natura praefervidus, fartum ubique opus & salibus nimium plautinis, & felle Satyricorum, eo tandem itum, ut male res verteret innocenti, multigenaeque doctrinae Viro (1). Tanta erat

(1) Cristanius quippe, Vir cetera doctus, quique tam latine sciebat, quam nemo supra, favere partibus Cucullatorum coepit, damnare Casperium, & quidquid esset literatorum in Urbe, quos ipse domi suae frequentes excipiebat, in suam sententiam adversus Casperium trahere. Quod utique bellum a Cristanio indictum non ab re fuerit meminisse: nam & eum habuere magistrum, quo tempore epheborum Principis magister erat, Comes ille de

id temporis, in ea praesertim Germaniae parte, aut superstitio, aut, quod idem est, tantis offusa tenebris religio, ut qui ab ineptiis abhorrerent minus fortasse religiosi haberentur, aut etiam contra ius omne saeviretur in homines religionis ergo. Proscriptae siquidem, quaecumque in ea ditione essent, haereticorum familiae: horrescas demigratum illinc ab haereticorum circiter triginta millibus. Quasi vero non ubique pacem charitatemque inter fratres mitissima praescriberet Christianorum lex: aut quasi illud in votis Ecclesiae potius quam ecclesiasticorum fuerit, ut, qui nullo modo, ac ne religione ipsa quidem exitiosi reipublicae essent, exilio, carcere, & morte coercerentur. Vitium id temporum fuit, culpandaque in primis prava illa iampridem inducta quasi religio, quae Principum mentes terrore perculit, statumque reipublicae sus deque

Thunn, qui demum Pataviensis Episcopus obiit, Firmianique fratres; & hi nihilominus edendarum adversus Sycophantas Iuvavienses Vindiciarum auctores Casperio fuere. Sed male, inquam, res vertit: nam auctus dignitate Cristanius, qui & Canonicus, & Cancellarius Iuvaviensis Ecclesiae erat, neque perfectam a Casperio iussu Principis Historiam ortus, progressusque Lutheranorum in ea ditione vulgari passus est, neque post obitum Firmiani Antistitis pactam idcirco in singulos annos mercedem Casperio solvi. Tam levi ergo de causa, tamque immerito vexatus homo ac pene perditus, quod Muratorium, magni nominis Virum, integramque eius doctrinam a calumniis vindicarit.

vertit, infinitasque myriadas animarum orco demisit. Gratulemur interim restitutam nuper latissime, iussamque a Caesare ubicunque pro eius imperio licuit, Christianam, quam diceres, tolerantiam fuisse (1).

Tranquillam vix poterat Carolus inter has quasi procellas aut servare mentem, aut studiis tribuere tum dulcissimis Philosophiae, tum elementis romani Iuris; quum forte fortuna abductus tandem abs Vigilio fratre, ad Batavos profectus est, Lugdunique in ea regione praesertim consedit, ubi & gravioribus se disciplinis instituendum praeberet, & institutore uteretur Philippo Reinhardo Vitriario, quo nemo ea aetate maior, quod ad Iuris publici scientiam attinet. Quas enim celeberrimus Vir in usum Christiani Ludovici Marchionis Brandeburgici Institutiones Iuris Naturae & Gentium scriptis complexus est, eae adhuc versantur manibus Iurisconsultorum (2)

(1) Huius tolerantiae lex ab Imp. Constantino Mediolani lata A. MCCCXIII., eo quippe consilio lata, quemadmodum legis auctor ad Praesidem Bithyniae scripsit, *ut daremus & Christianis, & omnibus liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset;* mirum est quantum proferendae augendaeque passim Christianae religioni profuerit.

(2) Quid? Quod etiam Institutiones Iuris publici, quae ad normam compositae Civilium Iustiniani antiquum recentemque Imperii Romano-Germanici statum exhibent, in maxima etiamnum celebritate sunt.

Firmianus nempe sine huiusmodi iurium cognitione ratus in republica versari neminem cum dignitate posse, iis animum vehementer adiunxit, gratumque perpetuo servavit & nobilissimae disciplinae & optimo Institutori. Multa is quoque narrare solebat de Sigeberto Havercampo, multa de huius magisterio & doctrina, quem, ut amoeniora studia cum gravioribus Iurisprudentiae coniungeret, quotidie audiebat docentem publice Historiam, Eloquentiam, graecasque literas, privatimque ita coluit, ut quidquid in graecis aliquot, latinisve Scriptoribus illustrandis, quidquid in amplianda Numismatum scientia operae impendit vir ille eruditissimus, unumquodque ex eiusmet ore arripere velle videretur.

A Batavis tandem ad Parisios profectus, ut morem gereret Vigilio fratri, quicum amicitia fortasse maior quam affinitas erat, Lutetiae diu moratus est, quin ei quidquam familiarius fuerit in Urbe Gallorum maxima & frequentissima, quam unum adire Montfauconium, quem eximius ille inter poetas, Lucretio par (1), Lucretianaeque doctrinae hostis, quemque ut doctissimum monachorum doctissimi quique adibant. Poterat

(1) Card. de Polignac.

is nempe, ut erat antiquitatis bene peritus, quasi huius interpretem agere, thesaurosque monumentorum Italiae, quos ipse viderat, iamque aeternitati sacrarat, procul ab eius conspectu aperire Iuveni studiosissimo, quem fata in Italiam vocabant . .

Credo equidem sub iis ferme temporibus conscriptum ab Augusto fuisse Carolum inter Aulicos Imperii Germanici Consiliarios; Vindobonam autem profectum obeundi muneris gratia haud ausim affirmare. Neque enim in ea Imperii antiqua sede res integrae Austriadum stetere. Mox itaque translata alio post Bavaricum bellum Imperii Aula, quum se multo aliter ac sperabat, in otio futurum prospiceret, in Italiam migravit, cuius vix oras attigerat, quum puer esset. Bonarum ibi artium, quarum aestu ab adolescentia flagravit, dulce auditum nomen: philosophici ubique ingenii plusquam oculorum acies intenta. Cuius rei testem habui luculentissimum undeviginti ab hinc annis, quum primum Florentiam perrexi, Iohannem Lamium, qui a Firmiano Comite audierat videri sibi, dum praeclara eius urbis opera intueretur, Athenas sub Pericle, Romamque sub Augusto hodienum in Italia reflorescere. Verius tamen, ubi Romam pervenit,

quae caput orbis terrarum fuit. Neque enim dubito, quin augustas Urbis reliquias, prisca scilicet vel Regum, vel Populi Regis, vel Imperatorum monumenta contemplatus, quo deditae in hanc usque diem mentes hominum cum oculis fuerunt, superataque simul haec omnia Pontificum magnificentia, non eam quasi unam prae admiratione dixerit ingeniorum bonarumque artium altricem. Interim vero ne quidquam relinqueret Firmianus in Urbe maxima, quod ad suam ipse utilitatem non traheret, se ita constituit, ut qui totus esset interdiu visendis, quae oculis subiiciuntur, miraculis, totus vacaret noctu literatorum colloquiis & cultui literarum. Auspicato siquidem accidisse noverat Leopoldo fratri, ut liceret ei adolescenti Romae esse, alumnoque esse Germanorum Collegii; eius inquam, quod iussu Caesaris nuperrime ad nos translatum laetamur. Carolus itaque ut Augustinum Ursium agnovit, Virum ex Dominicana familia apprime doctum, nocturna sibi eum familiaritate devinxit. Primam ergo sacrare vigiliam cum eo solebat, non eruditis tantum sermonibus amicorum, sed legendis etiam interdum graecis, interdum latinis melioris notae oratoribus, histo-

ricis, ac poetis (1). Versatile ad omnia erat Firmiano ingenium, ea tamen animi contentio in singulis percipiendis, ut natum ad id unum diceres, quod forte spectabat. Historiarum itaque genus omne quum valde placeret, seponendum sibi tamen ratus est ecclesiasticae studium historiae, in ea potissimum urbe, quam nisi caput Ecclesiae dixeris, inanime corpus Ecclesiam, aut sine capite arbitrere necesse est. Laboriosum hoc plane opus, non sua tamen delectatione carens: multa enimvero percurrenda Ecclesiae tempora: sed satis superque virium ad illud erat in homine & literarii laboris patiente, & singulari memoria praedito. Obnoxiam videre Ecclesiam oportuit ingruentibus undecunque infortuniis: hoc ipsum autem ut dulce esset, for-

(1) Has porro quasi atticas noctes cum saepe laudabat, tum vel maxime exquisitum Ursii iudicium, narrare saepe de eo solitus, quod semel accidit. Duabus enim perlectis, quas prope divinas dixerim, tum apud Thucydidem, tum apud Lucretium de Atheniensi Peste descriptionibus continuo Ursius: quae tua est, inquit, ista Lucreti *subito clades nova, pestilitasque?* subindignatus videlicet, quod Thucydidis narrationem religiose admodum secutus, rem tamen omiserit unam, eamque insignem, poeticisque coloribus quam quae maxime accommodatam, omiserit nempe eos, qui teterrimam illam labem evaserint, immortalitatem se se adeptos putasse. Leviora haec tamen videri poterunt quam ut hic referantur: de utroque maiora praesto sunt.

tunam Ecclesiae satis erat inter afflictas persaepe res in tuto positam animadvertere. Nactus itaque opportunitatem audiendi Ursium, cui deinde tam plena huiusmodi rerum cognitio (quodcunque de edita eius Historia iudicium ferri lubeat) purpuram Romae comparavit, discipulum se eius professus est, historiam apprime didicit, eoque ita animum intendit ut nunquam retorserit inde aut relaxarit. Felix illud accidit, ut Romae degeret consobrinus eius Comes de Thunn (1), cui quidem eadem plane ac Firmiano ingenii natura, idemque delectus studiorum. Apud hunc itaque statutis hebdomada quaque literatorum conventibus, quum aditus pateret laudis cuique vel ecclesiasticae historiae vel Iuris naturae studioso, patuit Firmiano in primis, cui impervium nihil quod ad gloriam pertinet. Quantum enim & studio & ingenio valeret, suis illic lucubrationibus aliquando testatus est, eruditis autem sermonibus tum illic, tum quotidie in celebri illa, privatane dicam Vincentii Restae Bibliotheca, an publica Sapientiae officina, quo quidquid literarum atque artium erat, ab advenis aeque ac indigenis, ut in propatulo esset, afferebatur. Vidisses

(1) Erat is Auditor Rot, Rom, & Admin, Caesaris.

disses ubique Iuvenem tam nobili loco natum ea sibi ad gloriam assiduis laboribus comparare, quae vix alii ad questum facerent, neque tam minus otiosum fuisse, quam quum in otio Romae fuit. Quae quidem omnia ut prope admirabatur Urbs, minus iam pridem admirari magna, quam intueri solita; ita eum non diligere tantum, sed observare etiam consueverunt eminentissimi & dignitate, & doctrina viri, Querinius & Passioneus. Utrumque ille sibi officiis omnibus obstrinxerat: sed hic forte amicior, qui paulo ante Legatus Pontificis apud Caesarem fuerat: namque huius non modo frequentare domum Firmianus, sed insignem quoque, inaccessamque pene bibliothecam, quoties in animo habuit, toties sibi ferme uni datum fuisse gloriabatur. Duos tamen hic alios memorare fas est, clarissimos doctrina Viros, quos ipse aequales suos ut Romae agnovit, amicos habuit semper, & coluit studiosissime: Augustinum Georgium, Augustinianae adhuc familiae lumen, & Marium Marefuschium decus iam Romanae Purpurae, cui non ultima certe laus erit placuisse CLEMENTI XIV. bonisque omnibus.

His plane quae diximus, literarum praesidiis firmare quam maxime potuit adolescentiam, fir-

mare iuventutem maluit, quam otio & voluptatibus indulgere. Quidquid porro navatum operae amoenioribus literis, quidquid etiam a negotiis procul Reipublicae tam sedulo navatum quâ profanae, quâ ecclesiasticae historiae, id omne, tanquam auspicato gestum, in sui deinde laudem reique publicae utilitatem vertit. Nihil enim Firmianus de faece hausit, historiam minus quam historiae philosophiam sectatus: delectabant hominem congestae memoria res: in his percipiendis ardor animi nunquam consedit. Sed quoniam fidei minus quam iudicii plerunque ad historiam requiritur, totus in eo Firmianus ut a veris falsa secerneret, ut levia contemneret, irrideretque figmenta omnia, ut singula praeiudiciis purgaret, in trutina poneret, nec pluris faceret quam quanti sunt. Non itaque minus utilem praestiturus est Reipublicae operam qui exactam ad severioris criticae leges historiam assecutus fuerit, probeque dignoverit, qui fines ecclesiae, qui imperii, quae utriusque iura, quid alterutri aut vitio temporum, aut hominum calliditate illatum iniuriae sit, quid primitus in usu esset, quid novi postmodum, quo tempore, quibusve modis invectum, quid remittendum utrinque, ut sua cuique tribuantur. Huc nimirum spectare

vidimus aetate nostra Reges ipsos, ut suam sibi assererent auctoritatem a Deo profectam: ex iisque unum aliquem vidimus non imperitum rerum Ecclesiae, aliosque passim iuri etiam Canonico animum applicuisse, ut ipsimet quodcunque in corpore eius iuris aut germanum, aut falso ascitum contineretur, quodcunque vel Christi lege, vel traditione Apostolorum, vel Conciliorum decretis, vel Pontificum voluntate sancitum est, internoscerent. An vero non eadem Firmiano mens, cum gereret is aliquando superimpositam apud P. M. Regii Procuratoris personam? Perspicacissimus nempe qui erat, fretusque simul intelligentia BENEDICTI XIV. simulque iuribus Augustorum, praeiudicatam facile restituit rem, votique compos ad suam in urbe Neapoli legationem rediit.

Sed haec posterius gesta sunt. Restituta interim Vindobonensibus Imperii Sedes, Imperioque Maiestas. Quidni Vindobonam Carolus, unde eum bella distraxerant, continuo spectaret? Quidni ad Augustos contenderet, quorum numini se devoveret? Quidquid itaque, quanquam non sua culpa, vacatum a munere, id a se postulare ratus est, ut singula officiorum omnium momenta diligentissime perpenderet, quo neque abs collato

iam antea munere vacasse videretur, neque sibi in posterum deesse velle. Laudem virtutis omnem in actione positam intelligebat: se parum egisse, nisi ad eas res parandas, quibus actio virtutis continetur, studia converteret: se iam a consiliis Augustorum, se in oculis esse MARIAE THERESIAE Populorum Matris: id satis esse ut ad maiora animum intendat, neque se in otio relictum iri suspicetur.

Vindobonam tunc temporis advenerat Egnatius Wasenerus, vir omni memoria dignus, de quo ne plura hic referam, quam quae oportet, pauciora ex iis excerpam, quae saepe Firmianus ipse magna cum animi voluptate narrabat. Is nempe quum in gravissimis propeque desperatis Austriae temporibus legatum ageret MARIAE THERESIAE apud amicum eius & socium Britanniae Regem, summa sexennio circiter, donec bellatum ubique incerto marte, & vigilantia & dexteritate procurationem gessit. Probatum id omne quod gessit, non Augustae tantum cui charus apprime fuit, sed Regi etiam, Primoribus, Populoq. Britanniae (1), probata hominis

(1) Laudatus etiam (quod magis est) donatusque magnifice extra ordinem ab ipsomet, qui hostis adhuc erat, Galliarum Rege, cuius nomine

cura, prudentia, fides, ingeniique celeritas, animique constantia. Conciliata pace, quum pessima nervi optici, si quid forte legisset, irritatione affectus, confestim & stomachi languoribus, & oculorum vertigine laboraret, feliciter hoc tandem perfunctus munere vacationem munerum omnium petiit atque obtinuit. Vindobonae igitur nactus id otii Wasenerus eum sibi campum aperuit, in quo ab omni procul invidia excurrere eius gloria poterat. Tanquam enim si eo frueretur otio, quod suis ipsemet consiliis reipublicae peperisset, amabant eum, colebantque omnes, scitatum omnes oracula adibant, qui vero quidquam de eius gloria detraheret, inventus nemo. Protinus hunc sibi virum Firmianus amicitia & consuetudine iungere aggressus est: huic se deinde acceptum referre aiebat quidquid in politicis rebus gerendis sive scientiae sive prudentiae assecutum se esse noverat. Quantum enim in omnem partem circumspectare negotia Regum oporteat, quantum ea cognoscere, ut bene vertant, hinc se didicisse fatebatur, resque ipsas, usumque rerum sub eius quasi disciplina se agnosse etiam atque etiam testatus est. Quae

quum datae fuissent Wasenero literae, tam plenae honoris, ut supra fidem futurae essent, nisi oculis subiicerentur, eas, ut accepit, ad Augustos legendas misit.

ego dum refero nova Firmiani studia, an caetèra in tenebris latere patiar, quae laudis celebritatem addiderunt eximio Iuveni, eximiaque spe summae virtutis praedito? Quasi vero minus naturae suae, sibique ipse consentiens, dum nova susciperet, non etiam vetera prosequeretur? aut quasi non illud, quantulumcunque temporis reliquum fuisset, non illud, inquam, & graecis latinisque literis, & musarum deliciis impertiretur? Impertitus est porro commodissimam tunc temporis ingenio suo nactus Vindobonam, unius fortasse Viri gratia, qui duas ex veteri instituto noctis horas legendis quibuscunque optimis, primaeque classis auctoribus, quos Graecia & Latium tulerunt, quotidie tribuebat. Metastasium loquor, adscitum nomen, quod nulla aetas delebit; loquor Gravinae alumnum, clarissimumque Italiae sidus, tandiu in Germania apud Austriacos Reges conspicuum. Quod scilicet Firmianus ipse de hoc otio Vindobonensi praedicabat saepe, & libenter, satis erit hoc unum dixisse (1).

(1) Non ego tacitus praeteribo, quae mihi suprema Firmiani verba fuerunt. Haud ignarus ipse, quam mihi semper in deliciis fuerit Metastasius: legistine, ait, editam nuper Horatii Poeticam tam eleganter a Metastasio italice redditam? Cui ego quum respondissem, exspectatam scilicet ubivis gentium, dum in vivis ageret suavissimus poetarum? Atqui subdit ille, totam

Aurea interim illucere aetas coeperat FRANCISCI I., & MARIAE THERESIAE Coniugum, quum scilicet restituta, quanquam ad breve tempus, orbi terrarum tranquillitate, amplissima virtutum praemia ab hisce Regnantium optimis polliceri cuique licuit. Accitus tunc primo ab Augusta Kaunitzius (Deus bone quem virum nomino?) ad regimen totius imperii, accitus ut esset particeps adiutorque consiliorum omnium. In oculis eorum versabatur Carolus, versabatur in urbe principe, quam sui iam pridem nominis suarumque virtutum celebritate implerat. Is ergo dignus est maxime habitus, qui ad penitiora Augustorum consilia accersitus mandata ab iis acciperet ad Regem utriusque Siciliae. Legatus itaque profectus in eam regionem, quae felix quondam appellabatur, novissime vero horribili interque maximos memoria mortalium terraemotu partim eversa, & exterrefacta omnis, eo, inquam, profectus, quantum & gratia apud Regem valeret, facile ostendit, quantusque is

ex eiusmet ore iam degustaveram melle suaviorem coram Hagenio Praeside, & Canali Comite, clarissimis Viris. Tum coepit lugere gravi funere ademptum paulo ante splendidissimum illud Italiae, Germaniaeque lumen; lugere ademptum Firmianus coepit, qui brevi suum ipsius lumen utrique Regioni ademturus erat.

esset in perficiendis Augustorum mandatis res ipsa comprobavit. Nam si quid urens adhuc & insuave post foedus Aquisgranense supererat Regi CAROLO, Firmianus ipse reliquum sustulit, veteresque omnes inimicitias delevit. Tanta erat in homine cum gravitate insita morum suavitas, tanta cum urbanis officiis coniuncta ingenuitas & magnitudo animi, ut eum dixisses ad agendum perpetuo cum regibus natum factumque. Videor mihi interea versantem vidisse eum, qua animi hilaritate apud nos versabatur, cum doctissimis amicisque viris Serrao, Sergio, & Mazzochio, cui ipse benevolentiam Regis conciliaret, aut si quando a negotiis vacasset, modo huc modo illuc in amoenissima Italiae parte ultro, citroque digressum, naturaeque indulgentem suae, sacrata historiis minus quam fabulis veterum poetarum loca, ut erat antiquitatis amator, corpore & animo peragrare. Memorabat ea siquidem, quae in Campania praesertim viderat, apud Insubres frequenter & erudite.

Praeludia haec tamen, quaecunque fuere, maioris certe, amplissimaeque, quam nactus est, dignitatis fuere. Obierat Mediolani celeberrimus vir Beltramus Comes Christianus, de cuius dignitate pauca praemittam. Administratore Insubribus

bribus dato FRANCISCO III. ex Atestina gente Principe optimo, additus ei Christianus, tanquam Augustae Procurator, qui nempe ipsius mandato Dominae, ubicunque Austriacum quid in Italia esset, rem quamq. publicam cum plena potestate gereret. Nova haec revera apud nos dignitas nonnisique paulo ante Christianum commissa primum Pallavicino Comiti, qui etiam Provinciae gubernator fuit, in usu tamen hodienum, quemadmodum etiam in Belgio, ut quanta sit innotescat, quamq. unis commissa probatissimis ingenio, fide, integritate, rerumque experientia viris duos hosce (1), quos intuemur hac ipsa dignitate a Caesare insignitos, intueri sufficiat. Itaque post obitum Christiani Comitis, ut Mediolani nuntiatum est suffectum fuisse Virum, musis apprime charum, cuique esset omnibus amica mens, praegestiit ubique Civitas, neque spes eam fefellit. In mentem revoco dulcissima tempora: vidi ego de literis, deque omni re publica bene speratum. Quod ad literas attinet, inferius dicam: caetera, quae bono rei-

(1) Lectioni huius Elogii, quae solemniter habita fuit in Aula Archigymnasii maxima V. Kal. April., decus attulere prae caeteris Comes ipse Ioseph de Wilzeck, & Comes Ludovicus Barbianus de Belgioioso Mediolanensis, Principis Alberici Fr. & Procur. Caes. cum pl. potest. in Belgio.

publicae gessit, interpretari facilius, quam recensere. Procurationem rerum, quam semel obtinuit, nunquam amisit: integra ei dignitas post annos plus minus viginti tres: additus dignitati equestris ordo velleris aurei: addita laboribus extra ordinem praemia. Quum fortunare Insubriam Deus voluit sponsalibus FERDINANDI & MARIAE BEATRICIS, iussus ab Augusta tanquam auspex praeesse solemni stipulationi: quum eam fortunare voluit praesentia Caesaris, honos ei relictus, Dominum intra suos parietes tanquam hospitem excipiendi. Quem itaque gratiosum semper apud Augustam fuisse novimus, an non etiam probatum dixeris laudatumque in iis omnibus, quae apud nos gessit? Sed enimvero gratiosus etiam apud Caesarem fuit Augustae Filium, qui summa in eum traducta rerum Imperii Germanici apud Italos administratione, sic eius extrema honestavit quam maxime potuit, vitae spatia, quemadmodum tibi, Successor optime, iuventutis florem.

Caeterum nihil in Mediolanensi ditione, nihil in Mantuana actum est, nihil novi in alterutra excogitatum Firmiani temporibus, quod non ipsi auctori, suasori, conscio tribuendum. Inhaerere enim quis nesciat auctoritati, qua utebatur, glo-

riosum opus proponendi reipublicae commoda; gloriosiusque etiam exequendi mandata regis? Qua porro auctoritate ita usus, ut eam cum dignitate conciliarit quondam Serenissimi Administratoris, summiseritque demum amplissimae Regii Moderatoris, neque eam sibi minuit unquam, neque non operosiorem una cum utroque reddidit. Multa etiam negotia fuere, quae ut sibi maxime, suaeque fidei commendata fuisse intellexit, id a se postulare intellexit, ut singula digereret, persequeretur, conficeret. Censum hic memoro provinciae Mediolanensis, magnum opus & arduum, cui quidem operi, licet non intentato antea, primam tamen aetate mea apposuit manum immortalis vir Iohannes Lucas Pallavicinus, extremam Firmianus. Incoeptum etiam & pene absolutum unius Firmiani cura censum hic obiter memoro Mantuanae Provinciae. Institutas itaque ipsius consilio ad utranque Provinciam non ornandam modo, sed etiam augendam Academias non est cur praeteream: ingratus nempe futurus, si Mantuanam, quae me ab sua ipsius institutione cooptavit, praeclarioribus eam literis, omnique scientia florentem praetereo; iniustus autem, si duas Mediolanenses, quarum alteram agronomiae ad patrias ruris opes tuen-

das ampliandasque, alteram liberalium Artium, ut eas in Insubriam reduceret hinc forte dilapsas, erigi curavit. Sed alia quaedam recensere in animo est.

Mos erat iamdiu apud nos iniquitate temporum invectus, credo etiam in Italia pene omni, & passim alibi, ut qui praeessent coetui religiosorum hominum, religiosi & ipsi, in dominos quasi, regulosque Fratrum suorum se se efferrent. Quum enim se penitus autumarent Ecclesiae subditos, immunesque nihilo secius ab iurisdictione Episcoporum, extranea abusi, legitimam Regis Potestatem aut contemnebant, aut formidabant potius quam verebantur. Itaque delatum sibi ius opinati & carceres intra claustra aedificandi, privatisque iudiciis puniendi noxios, qui viderentur, in vincula coniiciebant, vinctosque aliquando usque ad extremum spiritum exire inde prohibuerunt. Haec tamen effraenis licentia nonnisi raro & latenter, nonnisique in hominum pusillum gregem exercebatur. Deterius porro, quod sibi eam arrogarent, quanticunque ii essent, ex ecclesiasticis quidam, Tribunali palam erecto, in hominum quodcunque genus, non ad inquirendum tantummodo, sed ad iudicandum etiam ubivis gentium multandumque qua poena vide-

retur . Delatores itaque plurimi , & non raro improbi , satellites quocunque missi a privatis hominibus : arma a Rege prohibita privilegiariis quibusdam deferri datum : innocentes quandoque ad iudicia pertracti clam regiis Iudicibus , damnatique : perterrefactae omnium animae iudiciorum poenarumque metu . Quid istuc esset primitus , & an institutum ad inquirendum duntaxat de haeresibus praecipue & blasphemiis , haud interest quaerere . Praeposterum omnino ius erat , iniurium Regi , in cuius potestate sunt homines , incongruum Ecclesiae , cuius est animas , non etiam corpora cohibere , inhians quid , tanquam praedae , libertati , vitaeque Civium ; praesertim vero quum ipsi cruciatus corporum quandoque deliria mentium consequerentur (1). Sacras hasce

(1) Exempla quidem infrequentiora apud nos , aetate praesertim nostra , quam alibi fuere . Obstupescas tamen alicubi , tamque diu in orbe terrarum contra ius omne patrata fuisse quae refero . Inquirebatur olim de Strigibus , & si quas puta leves foeminas deferebatur lactatum ad infantes accessisse , tanquam eo contactu , maleficove aspectu fascinaturas plectebant . Larvas & Lemures ubique inveniebant , Lamiasque interdum noctu ad nucem Beneventanam progressas . Si quis mente captus magum se esse perhiberet , aut si quis mirabile aliquid supra vulgi captum efferret , utrumque ut magum suspicati crudeliter vexabant . Firmianum tamen audivimus , ut statim in hac provincia versatus est , duo clarissimorum virorum opuscula tunc primum in lucem edita , quae haec praeiudicia tollerent , probata sibi quam maxime fuisse : alterum scilicet Hieronymi Tartarotti de *Nocturnis Lamiarum congressibus* , alterum Scipionis Maffeii *de Magia ad nihilum redacta* .

Superstitioni Aras, quas Mediolani quum primum erigi iusserat Philippus II. Hispaniarum Rex, probe norat Firmianus, quantum licuit oppugnatas a Mediolanensibus fuisse; terrores hosce animorum nisi omnino everteret, nec publicae locum securitati fore, neque auctoritatem Regis in integrum restitui posse intellexit. Vidimus eum deinde moliri opus, quod intentatum reliquerant, qui magna ante ipsum moliti sunt, Ligures duo, Pallavicinus, & Christianus. Uno verbo dicam: adempti privati carceres, eversum Inquisitionis Tribunal, annuente MARIA THERESIA.

Memini etiam interfuisse me apud ipsum colloquiis convivarum, quum nempe sermo incidisset de numero Virginum, quae se intra claustra concluderent, longe maiori in Italia quam alibi, excurrissetque sermo ad res ecclesiasticorum singulas, quibus aliqua opus esse reformatione diceretur; memini me audisse Firmianum singula in antecessum laudantem, quae Caesar post eius obitum perfecit. Admirabamur hominem arcanum, prudentem, religiosissimum, qui Ecclesiam colebat, ecclesiasticosque omnes favore & officiis prosequebatur, duriuscula quaedam de iis pronuntiantem: quod nobis inditio erat sic ea

futura postmodum, ut facta sunt. Revera enim quocunque animo esset in caetera, propensior tamen ad iustitiam fuit, Imperiique vindicanda iura, tollendaque de medio reipublicae, quae gravia fore viderentur. Ita me Deus amet, ut eum persaepe novimus anxium corde, miseratumque clam privatorum vicem, de qua postea sibi ipse placebat, si quando eam aut meritam agnosset, aut in solatium Reipub. iussam ab Rege. Salus enim Provinciarum suprema lex erat. Quare non illud omittam, quod sibi initio proposuit, firmumque habuit perpetuo, ut Germanos aliquos domi suae haberet, generosos adolescentes, quos nempe ex alumnis, consortibusque laboris sui Administros tandem optimos dono daret Regi & Reipublicae. Faustum id quidem felixque, nam eum prae aliis dilexit, quem forte iam haeredem virtutum dignitatumque suarum animo designarat.

Hactenus in civili Republica versantem vidimus: quod reliquum est in literaria videamus. Quanquam enim plerique eundem hominem nolint multis in rebus excellere, ea tamen ingenii vis Firmiano erat, idemque ardor animi, qui semper fuit, ut quantum temporis oporteret, negotiis, quantum superesset, literarum studiis,

bonisque artibus tribueret. Recordor felicia tempora, quum quidquid musarum esset in Urbe matre, eo confluebat omne statis diebus, ubi non tantum mulcerentur aures dulcedine carminum, sed ubi etiam ingenia ad sublimia quaeque raperentur. Ex eo siquidem coetu, de quo glorior adhuc, multi prodierunt utiles Reipublicae homines (1), prodierunt philosophi, & oratores aliqui, quum singulis pateret aditus laudis, quodcunque tandem amplecterentur literarum genus, prodierunt clarissimi poetarum, quibus animos addebat Firmianus praesentia sua, tanquam Apollo alter, addiditque semel praesentia Vigilii Principis, Musis interea omnibus ad utriusque Fratris encomia conspirantibus.

(1) Hos inter nomino vita functos magnificum Virum Iosephum Comitem Imbonati, qui suis in aedibus Academiam instituerat, aluitque perpetuo, amicissimosque mihi Franciscum Xaverium Quadrium, poeticae Artis praesidium, & Aloysium Iustum, qui ad maiora vocatus Vindobonae obiit; quorumque carmina iam typis edita sunt Carolum Antonium Tantium, Pellegrinum Salandrium, Caietanum Guttierez, Dominicosque duos Soresium & Balestrerium, sacrosque Oratores totidem Geminianum a S. Mansueto, & Antonium Mariam a Borghetto. Clarissimum nomino in literaria Repub. Georgium Comitem Giulini, acerboque funere ereptum nuper affinem eius, quo nemo amicior mihi ab ipsa adolescentia, Marchionem Iohannem Baptistam Morigiam, literarum aeque, bonarumque artium cultorem. Cur non eos hic memorem, quos & ego meminero semper, & ipse Firmianus in honore habuit?

Sed

Sed non erat cur domo exiret doctissimus vir, ut musas quaereret, earumque deliciis frueretur: domum ita instrui iussit, ut sacram musis diceres. Musarum enim antistites, quos vultu singulos agnosceret, domum ciebat, ut vel convivio exciperet, vel colloquiis detineret. Quidquid ad Artes pertinet, modo affabre conditum, id omne quod colligi potuit, collegerat diligentissime: antiquas loquor & novas ex marmore statuas, aeneasque ex insignioribus Romanae Urbis expressas, descriptasque in sulphure veterum effigies gemmarum, textiles etiam picturarum Urbinatis pictorum maximi, typisque editas clarissimi cuiusque artificis numero plusquam viginti mille, innumerosque demum ex aere conflatos nummos. Mechanicum etiam opus, utut ex fabrili arte conflatum, chara aqud eum erat supellex, opificesque ipsi, qui ingenio simul ac manibus valerent, in pretio habiti. Pictura gaudebat quammaxime, quod nemini dubium erit, qui seriem, qui numerum, qui excellentiam tabularum, quae penes ipsum repertae sunt, ab edito earum locupletissimo Indice agnorit: nego enim ullam picturam fuisse ex insignibus Italiae scholis, textilem aut in tabulis, quin quaesierit, aut quovis pretio emerit. Laudandus in eo maxime, quod

quum Mediolano evehi iuberetur destinata Genio IOSEPHI II. Augusti, iamque pridem conspicua in divi Celsi apud nos Raphaelis Urbinatis tabula, eam describi voluit, traducique ex archetypo in aliam studiosius ad similitudinem quam fieri potuit. Atqui in reliquis etiam ingenuis artibus idem Firmiano sensus, quem plane agnovit FRANCISCUS Mutinae Dux, qui gestiens in tam effusa hominum laetitia, quum nuptiae celebrarentur Regiae Neptis lectissimae Foeminarum, se ipsum erga Firmianum effudit, Augustae Procuratorem, cui splendidissimo dono dedit sculptamque Andromeden caelatosque antiqua manu lapillos, egregia artis opera.

Veruntamen haec tibi levia videbuntur, si cum ea compares locupletissima librorum supellectile, cuius granditatem ut primum ex limine adspexeris, regium quid illico, supraque privatas opes arbitrabere: si intus inspexeris, sacrarium vere musarum omnium fateare necesse est. Quidquid enim antiquitas tulit, quidquid sapientia Graecorum, Latinorumque, quidquid egregium post ipsos in omni literarum genere Italia prima omnium, Germania deinde & Gallia, in primisque Britannia usque in hanc diem ediderunt, id omne ad numerum librorum plusquam triginta millium

tam sapienter collegit, ut veteres quique optimi, recentioresque scriptores quasi spirare in eius aedibus viderentur. Nec enim penes Firmianum Comitem otiosa in pluteis librorum supellex. Mirere tot curis distentum hominem, si quid otii nancisceretur, non eo perfrui ad voluptatem; mirere eum vacare musis potuisse, iisque met studiis, quae chara iuveni procul a negotiis fuerunt. Nocturna igitur diurnaque manu versare solitus sexcenta, quae comparaverat, de Iure Naturae, & Gentium volûmina, non iis abstinebat oculos, quae rebus historicis cuiuscunque generis memoriam implerent. Quid mirum igitur, si paucos post annos quam in Insubriam venit, tam scite de rebus nostris loqueretur, quam supra ex indigenis nemo. Modeste hoc unum referam de me, cui multis adstantibus quum plura apposite ad historiam Gymnasii huius manu sua traderet suo iam studio collecta, perhumaniter dixit: agedum habebis me socium posthac, adiutoremque laboris tui. Immensa siquidem, quae in eo erat, historiarum cognitio, non tantum ecclesiae, aut civitatis finibus continebatur, sed late etiam ad genera quaecunque porrigebatur literariae provinciae.

Provinciam hanc literariam & valde amplia-

tam nobis, & auspice Firmiano ampliatam fuisse gratulamur. Suas habent literae tempestates, suaque fata. Non ego eam dixerim (quod verbum excidit alii) regionem quam colimus imaginem veluti Boeotiae Graecorum in Italia videri. Atticum quid redolentes in Insubria literas omnis aetas protulit. Vagam equidem Sapientiam dixerim apud privatos homines diutius stetisse, quam ut ei publicum, in quo aleretur, domicilium pateret. Quod antea domicilium erat, ut male affectum iniuria temporum, vetustatem sentiebat, collapsurum propediem nisi regia quasi manu fulciretur. Avocata itaque ad se divino pene consilio, eius aedificii instaurandi cura, protinus MARIA THERESIA Augusta curatores operi dedit Kaunitzium Principem, Virum summum, Firmianumque Comitem, qui forte suasor consilii fuerat. Quum interim disputaretur de loco, ubi pedem Sapientia sisteret, placeretque aliis, ut Mediolani esset in urbe magna, Ticini, dixit Firmianus, ubi vetus Archigymnasium, Sapientiae sedes. Quam auspicato intelligitis: adiunctus enim primo, qui eminus amicam praeberet manum, Ioseph Spergesius, musis vere nostris amicissimus: adiunctus deinde, qui cominus amplitudine consiliorum insisteret operi per-

ficiundo, Nicolaus Peccius, quem honoris gratique animi causa nomino. Absolutum opus, cuius mehercle quanta pars fuerit Firmianus Comes, satis eius indicat nomen in ipsa fronte Gymnasii regio iussu conspicuum nobis, serisque futurum nepotibus. Ne quid tamen iactanter, aut minus modeste dicam de nobis, qui in hac Gymnasii luce versamur, tametsi vestra omnium opera, Patres conscripti, factum esse intelligam, ut restituto Gymnasio ubique gentium plaudatur, illud attingam leviter, quod laudi Firmiano est, nobisque maximo honori fuit. Auspicatissimus enim quum primo venit ad nos, veluti ex diis tutelaribus alter, FERDINANDUS optimus, Augustae Filius, Augusti Frater; noster hic ordo inter clarissimos Regiae Civitatis, auctore Firmiano, electus vocatusque (quod maioribus nostris non raro obtigit) osculatum dexteram Principis, cui maxime commendaremur. Age vero an non ipse Firmianus in suis aedibus excipiebat nos comiter & honorifice? ut de nobis amice loquebatur? ut nostra omnia, si quae in vulgus emisimus, ipse in deliciis habebat, quin ipsis etiam Regibus obtulit identidem quasi degustandum? iniustus oppido forem, si minus haec delibassem, infinitus, si omnia persequi dicendo velim

de eximio Viro, quem ut accepimus fato concessisse, vidi ego madere lacrymis omnium oculos, ingemiscentium animorum testes, gratiasque agere, quas poteramus, audivi singulos tam benemerenti animae, successoremque Firmiano similem, qui studia nostra foveret, precari nobis a D. O. M.

Ne tamen ad tristia properemus, intueamur quaeso, quid huc allatum vidente me, quod ante Firmianum deerat. Ruinosae tunc maxime aedes Gymnasii: nulla librorum, nulla machinarum ad Physica experimenta supellex: ignoratum neglectumque omnino quidquid thesaurorum Natura exhibet: ne una quidem servata ab Anatome dissectarum humani corporis partium, quibus utiliter, & quovis tempore studeretur. Nihil extra Gymnasium, quod ad nos pertineret. Non calidaria tuendis ab hyeme plantis exstructa, ac ne hortus quidem officinalium herbarum: Chymica ipsamet officina, quaecumque ea erat, extra res nostras censita. Quae nova hodie Gymnasii facies, quae nova docendi ratio, quam auctus supra septuplum discipulorum numerus? Sed quam abunde consultum, ne quid deesset, quam laute accita quae deerant, Vos qui adestis, ipsimet intueminor & iudicate. Nam ego si quos

maxime fructus, longiusque duraturos ex sapienti Reipublicae administratione collectum iri confidimus, eos ex literaria iuvenum educatione colligendos esse pronuntio. Quare si minus in caeteris Firmiano obtigisset, quantum vel oppido satis esset ad nominis perpetuitatem, quo immortalis tamen habeatur a nobis gratia tam benevolo capiti, satis superque erit videre posthac Antistites Ecclesiarum, Iureconsultos, Medicos, muneribus quenque suis rite obeundis non impares; videre philosophos etiam, cultoresque musarum ubique: nam caeteris urbibus, & Mediolano praesertim urbium maximae, prohibitis quamlibet graviorum magisterio disciplinarum, amoeniorum fungi magisterio ultro concessum.

Reliquum est, ut quem in oculis & luce hominum vidimus, quem in literaria, quem in civili Republica praestantem ubique; intus etiam paulisper, in eaque bonitate contemplemur, quae nullis casibus augeri, aut minui visa est. Naturalis in eo & perpetua fuit honestas, virtutum omnium conciliatrix, gravitas morum, prudentia, aequanimitas. Nunquam enim ab ea, quam semel habuit, in vultu, moribus, verbis, rebusque gerendis dignitate, & quasi severitate recessit, facilis tamen cuique visus, nam & serio in

negotiis agendis, & erudite cum eruditis, & iucunde inter amicos, & familiarius etiam cum familiaribus loquebatur. Dulce siquidem erat excitatis aut inter prandendum colloquiis, aut etiam pomeridianis audire, quos ipse singulis, quamque varios pro varietate ingeniorum sermones apponeret. Amicos habuit plures, quosque ab ineunte adolescentia fortuna dedit, perpetuo servavit. Colebat eos maxime, quos probitate & doctrina sui similes agnosceret. Hos enim ut sibi ipse consulto & voluntate iunxerat, sic & absentes devincire solebat arctius epistolarum nexibus, officiisque. Itaque nonnullos ultra Alpes habuit, quorum assidua apud ipsum commemoratio, & iugis memoria; multo tamen in Italia plures, earum praesertim urbium incolas, ubi diutius consederat. Innumeros pene dixerim ex genere literatorum, qui libros Firmiano tanquam patrono inscripserunt, sola in eum observantia, nullaque praemiorum spe ducti: veruntamen fastus in eo nullus, neque ulla iactatio. Nunquam eum iratum vidimus, aut perturbatum: si qua immo iniuria illata esset, ad ignoscendum paratissimus, magnoque animo semper fuit. Contemptor ut erat & pene ignarus divitiarum, detrimentum attulit rei familiari, neque id tamen ad vitia foven-

fovenda (nam integer vitae fuit , purusque vitiorum) sed ad virtutem colendam , eique struendam domi pretiosissimam pro dignitate supellectilem . Diurnis ludicris , nocturnisque spectaculis & raro interfuit , & officii potius quam sola animi causa interfuit . Praeferebat is enim subdiales , donec potuit , deambulationes , lectionesque noctu cum anagnoste & amicis . Quum ruri esset (frequentius autem quam in urbe maluisset) non procul a negotiis erat . Urgebat res censualis , quum primo ad Insubres venit , indictumque ut executioni tandem aliquando mandaretur . Firmianus interim , qui finem poneret laborioso operi , in Villam deverterat . Ignara plebs calumniari statim otiosum hominem , quaerere satisne commoda rusticatio , mirari quod nondum satis tributum rure voluminum lectioni (1) Britannicorum . Quum ecce in Urbem rediens Firmianus , ut se a calumniis purgaret , absolutum praeter exspectationem in vulgus edidit volumen Rei censualis , delineatamque in eius fronte (2) Villulam , quae quantum ad id operis necesse esset , tantundem sibi otii pepererat .

(1) Suum cuique ingenium . Firmiano , quidquid erat Britannicum , id ferme omne in honore ac deliciis erat .

(2) Moncucco .

Plena igitur virtutum omnium Firmiani vita, sed in his Religio eminebat, quasi mater, & altrix caeterarum. Integra ei semper, & in obsequio fuit ad cineres usque, prout a Deo manavit, vetus illa Patrum nostrorum Religio, ab ineptiis videlicet, omnique superstitione vacua. Huic totum ut se devoveret, quotidie solebat divina illa cum veteris tum novae legis praecepta meditari potius quam legere. Quin etiam ut eam studiosius ex animi sententia coleret, theologiam sine magistro didicerat, ratus futurum satis, si manibus versaret in dies theologos Ecclesiae Gallicanae duos, Nicolium & Dughetum. Exterior itaque Religionis cultus, ut singulis lege praescriptus, ita erat in Firmiano propter eius dignitatem solemnis, exemploque omnibus. Videbamus eum quot annis tum saepe, tum vel eo potissimum tempore, quod sanctam hebdomadam appellamus, adesse Templo, adesse inter primos, adesse tandiu, donec aut mane, aut vespere sacra peragerentur, sed stato die intra illam hebdomadam non eum videbamus porro, & corpore extra Urbem in eremo latentem, & animo ad mysteria religionis evecto. Quum publicae pro salute Augustae (decimus quintus iam annus agitur), indictae fuerunt supplicatio-

nes, atratus is atque humilis per varia longeque inter se dissita Urbis Templa anteire pedibus voluit frequenti populo: quum iusta funebria celebrarentur post annos tredecim, tantus ardor religionis fuit, ut flexis genibus interesse maluerit, tamque diu interesse, ut exasperatum ulcus in crure, quod multo ante eruperat, recrudesceret. Nescio an unquam exinde licuerit ei domo egredi: alio enim iam pridem gravi morbo in praecordiis vagante, sensimque vires affectae corporis fuerunt, desperatumque repente de bona eius valetudine. Eadem tamen vultus hilaritas, eadem animi supra periculum fortitudo, institutum studiorum idem, flamma virtutis eadem, suus idem tenor, suaque observatio religioni reddita. Nulla vacatio muneris aut aetatis, quo minus alacriter mandatis praeberet se Regnantium maximi. Quod tamen mirere magis; postquam in dies accessisse febres, doloresque sensit accrescere, parcus omnino mollium querelarum, percontari ipse quidem non desiit medicos de statu salutis: percontantibus ipsum nunquam respondit se male habere. Alterum scilicet praeceperat sibi religionis gratia, non mortis quidem horrore aut metu, sed ut eam alacrius, neque imparatus, aut imprudens exciperet; alterum prohibuit huma-

nitatis causa, ne luctum afferret. Quum semel respondit se male habere, heu! protinus vale dictum amicis, supremum vale rebus omnibus, quotquot charissimae fuerunt iam. Sed refugit animus obversantem quasi ante oculos videre relictum sibi, suisque virtutibus; videre obnoxium communi fato immortalem virum. Paucis dicam, quod lubet videre. Felicitas in omne aevum dicitur Regio Principi, cui semper quod debuerat praestitit. Adstat rogatus indesinenter lateri Sacerdos qui sacra peragat, communicetque enixe roganti. Quid quaeritis? religiosissime omnia. Adstat supremae voluntatis custos, ille ipse adstat indesinenter lateri, summus inter amicos, quem forte successorem sibi animo praeconceperat, dederuntque nobis continuo DEUS & CAESAR.

FINIS.

